

Christum, qui non, ut discernatur etiam quis vere sit credendus, et colendus, qui non. Si autem a nulla auctoritate posset ista difficultas, et quæstio terminari, et aliunde multa pseudoevangelia, et pseudoprophetiæ futuræ erant, non provideret Deus Ecclesiæ in re tam necessaria, sicut est sinceritas fidei, multumque minus haberet nunc Ecclesia quam synagoga, quæ judicare poterat de falso propheta, et determinare quod non esset admittendus, nec pro legitimo habendus, ut constat Deuteronom. XIII et XVII.

XIII. Et confirmatur, quia Ecclesia judicat de novis revelationibus, quæ fieri possunt, nec assentitur cuiquam dicenti se a Deo missum, nisi id probet per miraculum, aut per speciale Scripturæ testimonium; ergo similiter judicare debet de revelationibus ipsius Scripturæ quando difficultas, aut quæstio insurgit an veræ, et legitimæ Scripturæ, vel non. Consequentia patet, quia non minus pertinet ad sinceritatem fidei, quod de Scripturis canonicis constet esse legitimas, et non adulteratas, quam de revelationibus particularibus ergo si de istis; Ecclesia judicat propter sinceritatem, et veritatem fidei, ne corrumpatur, similiter et de illis. Antecedens vero certum est, et habetur in capite Cum ex injuncto de hæreticis, ubi decernitur quod nulli asserenti se missum a Deo invisibiliter credatur, cum hoc quilibet hæreticus asseveret; sed oportet quod adstruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel per Scripturæ testimonium speciale; ergo quotiescumque aliquis se dicit missum a Deo, et doctrinam aliquam proponit credendam, judicatur id ab Ecclesia per illa duo principia, scilicet per operationem miraculi, aut testimonium Scripturæ speciale.

XIV. Denique ipsi hæretici quan-

do nolunt aliquas Scripturas admittere, et alias de novo confingunt, vel ad id moventur ex aliquo fundamento, et motivo, vel solum pro libito suo rejiciunt quas nolunt, et admittunt quas volunt. Si pro libito suo procedunt hoc ipso convincuntur sine ratione, et fundamento rejicere, et admittere Scripturas, et consequenter tamquam irrationabiles relinquendi sunt, et evidenter tunc apparet, quod sicut illi hæretici pro suo libito illas Scripturas non admittunt, alii illas admittunt, alii similiter alias rejicient, et sic apud nullos erit unitas in fide, nec certitudo, et firmitas de revelatis a Deo, quod est totam fidem subvertere. Si autem aliquo fundamento, et motivo ducuntur ad non admittendum aliquas; ergo jam de ipsis Scripturis judicant, et decernunt, si quidem propter illa motiva judicant non esse veras, et legitimas Scripturas; fatentur ergo esse in terris potestatem ad judicandum de veritate, et sinceritate Scripturarum; quod enim ipsi faciunt, cur etiam alii non facient? Tunc rursus: Si contingat illas rationes, et motiva, quæ ipsi afferunt non esse omnino certa, sed solubilia, et alias rationes, et motiva posse opponi, ut constet illam Scripturam quam rejiciunt non esse rejiciendam, quis judicabit de tali controversia? Nec enim expectanda est Dei revelatio, cum non sit modus ordinarius gubernandi homines quod ordinarie per revelationes Dei terminentur eorum controversiæ, nec standum est cujuscumque spiritui (ut ostendimus disputatione prima, articulo primo) cum de hoc ipso sit controversia, quisnam spiritus ex illis duobus, quæ contraria dicunt, verus sit: ergo oportet ad Ecclesiam recurrere, quæ ut attestatur Paulus I ad Timoth. III: *Columna est, et firmamentum veritatis*, et ad Petrum

pro quo Dominus rogavit ne deficeret fides ejus, Luc. XXII. Plura adduximus citato loco, disputatione prima, quæ hic accommodari possunt, sicut enim ibi generaliter probavimus controversias fidei ad aliquam supremam potestatem visibilem debere reduci, ita et controversia de libris canonicis, quæ est una ex quæstionibus fidei.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XV. Ad rationem supra positam in hoc articulo §. Fuit ergo hæresis Wiclephi, etc. communis patrum responsio est, quando de Scripturis ipsis dubitatio, aut difficultas oritur consulendam esse Ecclesiæ traditionem, quam ab Apostolis accepit, neque hæreticos redarguendos fore ex ipsa Scriptura, quam ad libitum negant, aut admittunt sed ex apostolica traditione per quam constat apud quem Apostoli reliquerint veram, et legitimam Scripturam. Itaque ex verbo non scripto, sed tradito judicat Ecclesia de ipso verbo scripto, quando dubitatur an sit legitimum, et authenticum. Ita Tertullianus; tum in initio libri quinti contra Marcionem; tum in libro de corona militis, ubi clarissime traditiones non scriptas admittendas esse ostendit; tunc denique principalius, in libro de præscriptionibus adversus hæreticos cujus aliqua verba supra retulimus, disputatione prima, articulo primo. Et in summa docet non esse provocandum ad Scripturas cum hæreticis, quando ipsi pro suo libito admittunt quas volunt, et rejiciunt quas nolunt, sed potius attendendum est apud quos veritas Scripturarum inveniatur. Apud illos autem, inquit, inveniri, quibus Apostoli a Christo edocti tradiderunt, quid Apostoli prædicaverint non aliter probari debere, quam per

ipsas Ecclesias, quas Apostoli condiderunt, quas vocat matrices, et originales fidei, præsertim Romana Ecclesia, unde auctoritas præsto est statuta. Et quia verba ipsius gravissima sunt placuit ad unguem hic transcribere: «Ipsi, ait capite xv, de Scripturis agunt, et de Scripturis suadent. Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent: in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendos eos ad ullam de Scripturis disputationem: si hæc sunt vires eorum, anne eas habere possint dispici debet, cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit: » et infra capite xviii subdit: «Hæc utique, et ipsi habent in nos retorquere. Necessesse est enim, et illos dicere a nobis potius adulteria Scripturarum, et expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. Ergo non ad Scripturas provocandum est; nec in his constituentium certamen, in quibus aut nulla, aut certa victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solam disputandum est: Quibus competat fides ipsa; cujus sint Scripturæ; a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, quæ fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, et fidei christianæ, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum.» Hoc autem ut ibi subdit ex eo fiet perspicuum, quia fidem ab Apostolis prædicantibus accepimus qui utique missi sunt a Christo: «Quid autem Apostoli prædicaverint non aliter, inquit, probari debere,

nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt ipsi eis prædicando, tam viva voce, quam per epistolas postea. Si hæc ista sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus, et originalibus fidei conspiret, veritati deputandum, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit. » Hæc Tertullianus. Qui tandem ad Ecclesiam Romanam provocat: « Unde nobis, inquit, auctoritas præsto est statuta. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominici adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur. »

XVI. Ex quibus patet in resolutione rerum fidei ex parte ipsius habitus fidei, et rationis formalis ejus resolvi in auctoritatem divinam tantum, ideo enim credimus, quia Deus revelavit. In resolutione vero rerum fidei ex parte proponentis, et notificantis ea nobis, quando quæritur unde nobis constat hæc esse nobis revelata a Deo, si præcise ad Scripturas provocamus adhuc non sistit resolutio, quia videndum est unde scimus has esse veras Scripturas, et revelatas a Deo, rejicit enim hæreticus quas vult, et admittit quas vult, et si nolimus ipsi consentire potius habet nos pro hæreticis. Quare ad Scripturas recurrendum est non præcise, sed prout traditæ ab Apostolis, et his qui ministri fuerunt sermonis. Quæ tam expedita probatio est, prosequitur Tertullianus: « Ut si statim proferatur, nihil tam sit retractandum, ac si plorata non sit a nobis locum interim demus diversæ parti, si quid putant ad infirmandam hanc præscriptionem movere se posse. Solent dicere non omnia Apostolos scisse, eadem agitati dementia, qua rursus convertunt omnia quidem Aposto-

los scisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit. Quis enim integræ mentis credere potest aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in discipulatu, in convictu; quibus obscura quæque seorsim disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cælorum consecutum, et solvendi, et alligandi in cælis, et in terris potestatem? Latuit et Joannem aliquid dilectissimum Domino pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem præmonstravit, quem loco suo filium Mariæ demandavit? Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit et Moysem, et Eliam, et insuper de cælo Patris vocem? Si autem omnia ista falsa esse sentiant, Scripturamque istam non recipiant, ne Ecclesiam se dicant defendere, qui, quando, et quibus incunabulis institutum est corpus probare non habent. Tanti enim est illis non habere probationes eorum, quæ defendunt, ne pariter admittantur traductiones eorum, quæ mentiuntur. » Hæc, et plura alia Tertullianus, quæ antea sunt pro præsentis puncto.

XVII. Si vero quærat unde constet Apostolos istas Scripturas tradidisse, ibi ab Ecclesia probatur, cui Apostoli eas tradiderunt, et ipsa Ecclesia per episcoporum successiones, usque ad nos. Quare in proponendis Scripturis Ecclesia est superior ipsa Scriptura non superioritate simpliciter, sed in proponendo tantum, nec nititur auctoritati verbi scripti, sed verbi traditi. Et hoc est, quod in Conciliis generalibus definitis, et determinatis quæstionibus

quæ de fide tractantur solet a patribus acclamari illam esse fidem Petri, et fidem Apostolorum, sicut factum est in Synodo Ephesina, cum legeretur epistola S. Leonis ad Flavianum in sexta Synodo lecta epistola Agathonis papæ, et in Synodo Tridentina in acclamationibus patrum. Eadem resolutionem in propositione rerum fidei docet Augustinus libro xxviii contra Faustum, capite tertio et quarto, ubi in Scripturis discernendis, quarum aliquas hæretici admittebant, alias non dicitur recurrendum esse ad traditionem Ecclesiæ, quæ per successionem episcoporum illas derivavit usque ad nos. Eodem modo loquitur S. Irenæus libro tertio de fide, capite tertio, ubi recurrendum esse docet pro veritate ad Ecclesiam Romanam, et tandem capite quarto concludit: « Tantæ ostensionis cum sint hæc non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositarium dives plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritatis. » Et idem habet libro quarto de fide, capite vigesimo quinto.

XVIII. Quare in forma respondetur ad argumentum nullum a nobis committi circulum in resolutione rerum fidei, sed juxta diversas formalitates, et considerationes diversimode resolutionem facere. Itaque Scripturæ auctoritas quantum ad formalem rationem assentiendi sub qua creditur, immediate resolvitur in auctoritatem divinam, et veritatem Dei revelantis: quantum vero ad proponentem resolvitur in Ecclesiam, quæ seipsam, et Scripturam proponit fidelibus, Scripturam tamquam continentem res revelatas a Deo, se vero tamquam proponentem eas auctoritative. Et de hac auctoritate quantum ad rationem formalem credendi illam habetur ex Scrip-

turis, quantum ad rationem proponendi ab Ecclesia: hoc enim est proprium mensurarum, præsertim quæ sunt primæ, et supremæ mensuræ, quod se et alia mesurant, atque ita secundum has diversas formalitates, scilicet id quod tenet se ex parte proponentis, et id quod tenet se ex parte rationis credendi fit resolutio quasi secundum diversa causarum genera. Non est autem inconueniens, quod causæ sint ad invicem sibi causæ, neque in hoc ullus circulus committitur, quia vitium circuli debet esse semper in eodem genere causæ, et sic Ecclesiæ auctoritas probatur ex Scriptura, ut dicit Augustinus contra Faustum citatus tamquam ex revelatione, et veritas Scripturæ probatur ex Ecclesia tamquam ex proponente utidem Augustinus dicit.

XIX. Si autem inquiramus causas et motiva, quibus Ecclesia movetur ad admittendum, vel rejiciendum aliquem librum pro canonico præsertim si de eo sit difficultas, aut quæstio, dicendum est id accipere ex traditione apostolica, quæ per successiones episcoporum ad nos usque continuatur, quæ est communis patrum responsio, qui in istis difficultatibus, et quæstionibus de Scripturis ad Ecclesiæ traditionem recurrendum docent, atque ita ex verbo Dei tradito, et non scripto iudicat Ecclesia controversiam de ipso vero Dei scripto. Pro quo notanda est ex Augustino regula, qua librorum canonicorum discernitur auctoritas a spuris, et illegitimis, nam xi contra Faustum, capite ii, agens contra Manichæos, qui pro libito Scripturas admittebant, aut rejiciebant, et suas volebant statuere: « Quam libri, inquit, a te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis. Nam si hoc facere conaberis nihil valebis, et videbis in hac re quod

Ecclesiæ catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, usque ad hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie, et tot populorum consensu firmatur. » Et infra subdit etiam regulam qua variæ translationes scriptæ ab Ecclesia corrigendæ, aut admittendæ sint, ut inferius dicemus, et xxxiii contra Faustum, capite sexto, sic regulam dignoscendi veram Scripturam ex modo dignoscendi alios libros proponit: « Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aliorumque hujusmodi auctorum libros unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continuat? Unde constat quid cuius sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit ea insinuavit, atque edidit, et inde in alios atque alios continuata notitia, latiusque firmata ad posteros, et usque ad nostra tempora pervenerunt. » Igitur juxta Augustinum ex origine libri, ex vetustate, ex traditione episcoporum succedentium ab Apostolis, qui id contestatur, judicat, et discernit Ecclesia qui libri tamquam canonici acceptandi sint, et proponendi fidelibus. Et ita falsum est, quod nobis hæretici objiciunt papam, pro libito facere librum canonicum de non canonico, cum papa solum declaret quis liber sit habendus pro canonico, sicut in aliis definitionibus fidei solum declarat ea quæ sunt fidei, non fidem de novo facit. Sicut autem in definitionibus fidei attenditur maxime ad antiquas traditiones, et patrum intelligentiam, sic ex veterum testimoniis traditioneque ecclesiastica admittit Ecclesia librum pro canonico, vel rejicit.

XX. Ad id quod objicitur in eodem argumento ex parte diversarum translationum, infra respondebitur. Sufficiat interim Augustini testimo-

nium xi contra Faustum, capite secundo: « Si de fide, inquit, exemplarium quæstio verteretur, sicut in nonnullis quæ, et pauca sunt, et sacrarum litterarum studiosis notissimæ sententiarum varietates, vel ex aliarum regionum codicibus unde ipsa doctrina commeavit nostra dubitatio dijudicaretur, vel sibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut vetustiores recentioribus præferrentur, et si adhuc esset incerta varietas, præcedens lingua unde illud interpretatum est, consumeretur. » Fatemur ergo esse aliquam varietatem in translationibus, quæ ordinarie non in sensu sententiæ est, sed in nominum interpretatione, aut modo significandi; dicimus tamen esse in Ecclesia unde possit illam varietatem discernere, et eligere id quod certum, et indubitatum est.

XXI. Ad id quod ultimo objicitur, canone lxxxiv Apostolorum, et ex Concilio Laodiceno respondetur quod attinet ad canones Apostolorum nunquam receptos esse ab Ecclesia pro legitimis, nisi tantum quinquaginta ex illis, aut septuaginta sententiæ quæ in illis quinquaginta canonibus videntur inclusæ. Solum in canonibus sextæ Synodi approbantur octoginta quinque canones Apostolorum inter quos habetur ille citatus in argumento, qui est numero octoginta quatuor. Cæterum isti canones sextæ Synodi, qui vocantur Trullani, a Græcis conficti sunt, et semper ab Ecclesia reprobati. Cujus ratio est, quia non fuerunt facti a legitimo Concilio, sed cum in quinta et sexta Synodis generalibus nulli canones essent editi, post aliquot annos sine auctoritate, aut legatis Romani pontificis collecta est Synodus Constantinopoli ad supplendum canones quintæ et sextæ Synodi, et inter illos approbavit octoginta quinque canones Apostolorum, ut habe-

tur in capite Quoniam, xvi distinctione. Et de tota hac re videri potest Baronius anno Christi 692. Itaque juxta antiquorum patrum sanctiones liber ille octoginta quinque canonum inter apocrypha est relatus, ut constat ex Gelasio papa capite Sancta Romana, distinctione xv. Item etiam ex Leone IX, capite Clementis, xvi distinctione: « Apostolorum, inquit, canones numerant patres inter apocrypha exceptis capitulis quinquaginta. Item S. Cephelinus papa epistola prima sexaginta, aut ut alii legunt septuaginta sententias Apostolorum servandas censet. Videatur Turrianus libro primo defensionis pro canonibus Apostolorum, capite xx; Severinus Bivius, tomo primo Conciliorum, annotatione ad canones Apostolorum; Antonius, Augustinus libro primo de emendatione; Gratiani dialogo sexto, et in tomo secundo epitome juris in principio et Bellarminus libro de verbo Dei, capite, xx, qui omnes non agnoscunt pro legitimis canones Apostolorum nisi tantum illos quinquaginta ad quos reducuntur septuaginta sententiæ, quas dicit Cephelinus esse Apostolorum.

XXII. Ad Concilium Laodicenum respondetur, non numerasse omnes libros canonicos, quia nondum erat plene exploratum in Ecclesia, an illi, quos non numeravit, canonici essent, quia non omnes libri canonici simul ab Ecclesia sunt communiter recepti, sed paulatim. Ita magister Cano ii de locis, capite ix, et recte, cum etiam patribus constet non æque apud omnes constasse aliquos libros esse canonicos, ut patet ex Hieronymo in prologo galeato, et in prologo proverbiorum, qui de libris Tobiae, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, et similibus dicit Ecclesiam non recipere eos, ut canonicos, et similiter Epiphanius libro de ponderibus, et mensuris Sapien-

tiam, et Ecclesiasticum tamquam canonicos non admittit. Et Rupertus librum Sapientiæ non esse canonicum dixit libro tertio in genesim, capite xxxi, cum negaret Adam non fuisse salvatum quod ex illo libro ut falsum convincitur, multique alii patres, ut Origenes, Athanasius, Nazianzenus, etc. Et hoc modo etiam se habuit Concilium Laodicenum, non numerando illos de quibus apud aliquos dubitatur, quia id nolebat definire.

DE ÆQUALITATE IN AUCTORITATE LIBRORUM CANONICORUM.

XXIII. Inquiri potest, an omnes libri, qui nunc ab Ecclesia numerantur tamquam canonici æqualiter auctoritatem habeant inter ipsos libros sacros, aliqui in auctoritate præcedant, de quibus nunquam dubitatum fuit quod essent canonici; illi vero de quibus Ecclesia dubitavit non tantam habeant auctoritatem. Eo fundamentum dubitandi est, quia Ecclesia non potest nunc recipere aliquos libros in canonem, nisi in virtute et testimoniis primitivæ Ecclesiæ, ut colligitur ex Tridentino sessione iv; ergo si in primitiva Ecclesia dubitabatur de auctoritate illorum, etiam modo dubitari debet: nec enim constare potest Apostolos tales libros de facto Ecclesiæ tradidisse, si Ecclesia tunc Apostolis vicina, quæ eos recepit de illis dubitat.

XXIV. Respondetur aliquos ita sentire, hæretici quidem, quia hoc modo divinam auctoritatem ab aliquibus detrahunt, si inæqualiter illos in auctoritatem recipiant: catholici vero ut hoc modo aliquos ut canonicos admittant, non quidem ad confirmanda dogmata, sed ad ædificationem plebis, et morum, alios